

Nos tamen non latet, milites, ad sepulcri custodiam missos, non insimæ notæ Scriptoribus constasse, non Judæos, sed Gentiles fuisse. Cornelius a Lapide citatus, ad verba illa, habetis custodiam, addit: *Custodiā scilicet militum, idest custodes milites; quasi dixisset, habetis milites a me heri deputatos, vobisque datos ad Jesum crucifigendum, eunque in cruce usque ad mortem custodiendum: Nunc concedo, ut iisdem utramini ad custodiendum eum jam sepultum.* Et quia milites solos ad custodiam nolebat, ideo adjungit, ut & ipsi quoque Judæi sepultum custodirent. *Custodite ergo eum sicut scitis; idest optima ratione, & modo, quem nosl:* *Quasi dicat, modum custodiendi vestrae scientiae & prudenter permitto, ego amplius huic causæ immiscere me nolo. . . . Pro habetis gracie est, ex te, quod alii vertunt, quasi imperativum, habete; idest accercite Custodes. Nervosius noster vertit, in praesenti, habetis; jam enim habuerant milites custodes Christi in cruce, quos Pilatus eis dederat.*

At quis perhibere prohibet, tam in coronatione, quam in custodia, simul cum Judæis ministris Romanos quoque milites fuisse adhibitos? Judæi autem, quia Romanis subiecti, quia Sacerdotum ministri, viliora officia exercuerunt, flagellationem scilicet, & crucifixionem. Milites vero Romani coronarunt, ut illuderent; illuserunt, ut delectarentur; non autem flagellarunt, nec crucifixerunt eum, quanvis flagellations, & crucifixioni adstantes, & assistentes fuissent. Dicere autem, quia quum reus religionis violatae crimis haberetur, ad Sacerdotum ministros eum punire spectabat; nil ad rem facit, quia reum etiam maiestatis læsa eum fecerant, quando dixerunt, Cæsari prohibuisse dari censum, & se Judæorum Regem publici-